Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2595

Quelle:
Copyright:

logiam paſtoralem, partim aſceticam pertinent. Adhaeret *Miraculum de quodam Sacerdote*, qui de veritate praeſentiae Chriſti in Sacramento dubitabat.

IX. *fol.* 123. *Epiſtola gerardi* (Groot) *Ad quendam presbiterum prouincie maguntine.* Initium: *Amice in chriſto! Solus ille qui tibi in chriſto amicus eſt, vere tibi amicus eſt. Omnis amicicia et viciſſitudo quanquam cara quanquam coniunctiſſima ſine chriſti glutino vana eſt et in fine carens honore.* &c. Epiſtola opportunis monitis ad vitam Sacerdote dignam inſtituendam referta. De Epiſtolis Noſtri *mſptis* in variis *Belgii* Bibliothecis deliteſcentibus memorat *Foppenius* in *Bibl.* quas inter cenſeri etiam praeſentem haud ambigo. Nil non egit pius *Gerardus*, ut prolapſos Cleri mores erigeret; quo vero modo egerit, liquet ex ejus *Epitaphio*, cujus initium in uſum noſtri etiam aevi, quo multi *dicunt et non faciunt*, non poſſum non adſcribere:

Gerardus Magnus vixit ſicut pius agnus,
Fecit, quod dixit, ſicut docuit, quoque vixit,
Sicut non fictus, aliis mitis, ſibi ſtrictus.

X. *fol.* 129. *Dyalogus inter Pontificem et Sacerdotem ab eo ordinatum ſuper miſſarum frequenti celebratione.* Initium eſt: *Quando vox illa auribus meis inſonuit que ſeruum torpentem de tali retentione dampnauit obulum quem accepi mox compulſus ſum vſui communicare fraterno* &c. Dialogus vero ipſe ſic infit: *Pontifex. Dic modo o ſacerdos. quid cauſe habes quod in execucione officij tui ad quod ordinaui te tam tardus es* &c. Sacerdos negotia et peccata ſua obtendit, et ab Epiſcopo refutatur. Opuſculum ſimile *Dialogo Rationis et Conſcientiae* autore *Matth. de Cracovia.*

XI. *fol.* 141. Rhythmi illi allegorici de *Philomela* ſeu Paſſione Domini, quorum initium:

Phylomena preuia temporis ameni
Que receſſum nuncias ymbris atque ceni &c.

quique jam indicati ſunt *Cod.* DCXIII. ibique tributi *Joh. Peckhamo.* Comparent tamen etiam *Bonaventurae* dati *Opp.* edit. *Lugd.* 1668. T. VI. p. 424.

XII. *fol.* 151. *Autoritates*, ut in calce, *collecte ex epiſtolis Senece.* Initium: *Turpiſſima eſt iactura que per negligentiam fit.* Procedit Collector ordine *Epiſtolarum* 89. Ad calcem: *per me gerardum Keſſel ad regulares* (Canonicos) *prope nuſſyam. Autoritates* ejusmodi cum aliis *Ariſtotelis*, *Platonis* &c. non ſemel jam Sec. XV. typis editae ſunt.

XIII.